

singulis generū, ut loquuntur. Singula generum dicuntur individua specierum, genera verò singulorum dicuntur species communes individuīs. Quando igitur signum *Omnis* sumitur pro generibus singulorum, accipitur pro omnibus tantum speciebus, non autem pro omnibus individuīs. Sic in hac enunciatione signum *Omnis* sumi dicitur pro generibus singulorum: *Omne animal fuit in arca Noë*, sensus enim est hic: *Omne genus vel potius Omnis species animalis fuit in arca Noë*, non verò hic est sensus: *Omne individuum animalis fuit in arca Noë*, sic enim enunciatio illa esset falsa, animalia enim jam in mundo existentia non fuerunt in arca Noë. Sic etiam dicunt accipi signum *Omnis* in hac enunciatione: *Omnes peccatores accedebant ad Christum*, id est, ut explicant Autores, Omnis generis peccatores undique ex circumjacentibus locis ad Christum properantes, accedebant eum: ita etiam quando dicitur *Genes. 2. v. 19.* Cum Dominus formasset de humo omnia animantia terræ & omnia volatilia cœli &c. ubi animantia terræ & volatilia cœli pro generibus singulorum accipiuntur, animantia enim & volatilia cœli, quæ jam sunt, tunc temporis ex humo formata non fuerunt. Hic autem graviter impingunt Calviniani qui dicunt quod in dicto illo *1. Timoth. 2. Deus vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire*, signum *Omnis* sumatur pro generibus singulorum, & non pro omnibus individuīs humanis, quod est falsissimum, & potius signum *Omnis* hic sumitur pro singulis generum & pro omnibus individuīs humanis. Signum *Omnis* vero quando sumitur pro singulis generum, notat subjectum sumi pro omnibus suis individuīs, quæ sub ipso continentur, seu, ut nonnulli explicant,

cant,